G.G.R. THEOLOGI, AD LUDOUICUM DECIMUM-TERTIUM GALLIÆ ET NAUARRÆ REGEM...

Jacob Keller

Digitized by Google

XXX
G.G.R
1[illegible]75

1065. 19

G. G. R. THEOLOGI,

AD LVDOVICVM DECIMVM-TERTIVM GALLIÆ ET NAVARRÆ REGEM CHRISTIANISSIMVM.

ADMONITIO

Fideliſsimè, humillimè, veriſsimè facta, & ex Gallico in Latinum tranſlata:

QVA

Breuiter & neruosè demonſtratur, Galliam fœdè & turpiter impium fœdus iniiſſe, & iniuſtum bellum hoc tempore contra Catholicos mouiſſe, ſaluaque Religione proſequi non poſſe.

AVGVSTÆ FRANCORVM,

Cum facultate Catholic. Magiſtrat.

Anno M. DC. XXV.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE
1005. 19.

G. G. R. THEOLOGI,
AD REGEM CHRISTIANISSIMVM
Fideliſsima Admonitio.

DOMINE. Sæpe mihi in conſpectum tuum venire cogitanti, iamque ad Regiam iter molienti, tria potiſſimum obſtiterunt, & quaſi iniecta manu retraxerunt.

Primum eſt, immenſa quædam Maieſtatis tuæ magnitudo, quæ ſummam adeuntium venerationem iure ſuo expoſcit. Alterum eſt eorum, quos fideliſſimæ, humillimæ, veriſſimæ quæ meæ ſuggeſtioni aduerſarios eſſe certò ſcio, multitudo, potentia, feruor, dignitas, auctoritas. Non enim immeritò metui, ne vel à primo limine arcerer, vel admiſſus tantis præiudicijs opprimerer, accederemque exemplis eorum, qui ſua calamitate me docuerunt, Regibus etiam optimis bona dare coſilia eſſe periculoſum, ſi miniſtri diſſentiant. Nam placere vni Regi, diſplicere multis Regijs, exitio proximum eſt. Tertium & præcipuum, quod me deterruit, illud eſt, quod non decreta modò omnia, ſed acta eſſe multa, omnia inchoata video. Belli diſſuaſor, pacis auctor aduento. At iam iacta eſt alea, fuſus eſt ſanguis; ſerus adhortator, conſiliorumque exprobrator videri poſſem, & quia ſucceſſu fruimur, fortunæ tuæ inuidere.

Verùm cogitationes illas pauidas officij mei ratio, Reipub. periculum, Tua humanitas excuſſit. Cui enim eſt incognitum, Te quaſi plebis tuæ patrem nec infirmorum alloquia dedignari, & beneficentia regia Deum imitari, cuius infinita maieſtas nulla re magis quàm homuncionum audiendis precibus eluceſcit? Te igitur tibi oppono, & Maieſtati Comitatem, & quidem Comitatem, Maieſtatis ornamentum, eorum, quæ in Principe amantur, amabiliſſimum. Ea de cauſa minus etiam aduerſarios metuo. Nullius apud Te maior eſt, quam

Veritatis authoritas; Omnis enim tuorum potentia à Deo & à Te pendet. Nec pacis autor eſſe deſinam, quia bellum eſt: Nondum enim tanta eſt offenſio, vt animi ſint irreconciliabiles: vtrimque ſpes, vtrimque timor eſt: Dum in vtraque parte par eſt periculum, faciſſimè mutua pace diſcutitur, & bellum, quod ſubito promicuit, prudenter abrumpitur.

Tuum verò eſt, ô Regum Maxime & humaniſſime, fidelis ſerui tui audire admonitionem. Sublimitas tua eſt ſupra omnes, non ſupra lapſum: Potentia in omnes, non in æquales: Periculum in quod te tuorum conſilia coniecerunt, extremum: Quamdiu hoc bellum domi, foriſque ſæuit, ſtas fortunæ telis pro ſcopo obiectus. Neſcis quid de te boni, quid de illis, quibus bellum intuliſti, mali Prouidētia æterna decreuerit: Imo quid de te mali, de illis boni. Verendum enim eſt ne noſtra conſilia miſerabiles, planeq; tragicos exitus ſortiantur, vel ea præcipue cauſa, quod contra religionem veram, iuſtitiamque pro hæreſi & rebellione ſuſcepta ſunt noſtra bella, quorum etſi initia læta aliquando appareant, progreſſu tamen & fine ſint triſtiſſima, etiam Victori. Talia autem à noſtris Conſiliariis decreta eſſe bella, & tuæ pietati, æquitati, prudentiæ ſubrepta, coram Deo meo & Chriſto eius, Te Rege meo, me probaturum confido. Iam enim deſij eorum artes iraſque vereri, qui Domino meo Regi ſpecioſis titulis pericula cient, delinquendi & pereundi cauſas ingerunt. Totius regni non ſenſu tantum & aſſenſu, ſed etiam voce loquor. Quæ enim adfero in principum aulis, in vrbium frequentia, in ruſticana ſinceritate dicuntur: Verùm mihi in animo eſt, apud eos dicere, per quod malis remedium adhiberi poteſt. Fruſtra mala noſtra vbique narramus, ſi illo loco, in quo tantum dicenda ſunt, taceamus.

Principio, quantum ſit culpæ contractum in eo fœdere, quod ſtudio quorundam cum impiis eſt percuſſum, eo ſolum nomine atque reſpectu, quod ictum ſit cum impijs, blaſphemis, hæreticis, fatentur eius ſuaſores & actores. Nam infamiæ vitandæ cauſa in publica monumenta referri noluerunt: imo Romanum Pontificem de Valle Telina, de reductione Palatini, aliiſque pacta celanda iudicarunt, quaſi fraus pacare conſcientiam, aut dolus malus eludere Deum poſſit. Intonat ille de ſummo iuſtitiæ ſolio, & Tibi per me denuntiat, quod S. Regi Ioſaphato mandauit per Hanani Videntem, 2. Par. 19. v. 2. Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inuenta ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres

Dominum

Dominum Deum Patrum tuorum, Et 2. Par. 20, 35. Poſt hæc inijt amicitias Ioſaphat Rex Iuda cum Ochoſia rege Iſraël,cuius opera fuerunt impijſſima:& particeps fuit, vt facerent naues, quæ irent in Tharſis. feceruntque claſſem in Aſiongaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa, ad Ioſaphat dicens: Quia habuiſti fœdus cum Ochoſia, percuſſit Dominus opera tua,contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.

Dies me deficiet, ſi recenſere velim, quam graui pæna, etiam Regum & regnorum interitu fædera populi ſui Deus cum Palæſtinis, cum decem tribub. Syris,Aſſyrijs,Ægyptijs irrita fecerit.In illis fæderibus Diuina Maieſtas contemnitur, dum inimicis eius iuratiſſimis ſociamur. religio & mores mutuo commercio ſubuertuntur, eorum peccatis, conniuendo, conſentiendo, auxiliando. inquinamur. Hiſce Te malis miniſtri tui implicuerunt, Tu Te explica Regem fortiſſimum & ſanctum Ioſaphatum in amicitia contrahenda lapſum, fædere reſcindendo imitare, ne iram merearis, ne naues tuæ regnumque frangatur: Societatem belli cum perpenderis,damna. Britannus dux eſt auctorque fæderis,acer & verus Chriſtianorũ perſecutor,à prima iuuenta ſanguine Martyrum oblitus, regni tui inſidiator, tituli tui vſurpator, hoſtium tuorum impietatis conſortio deuinctiſſimus Patronus. In quo tantum tamq; immane eſt orthodoxæ pietatis odium, vt matris ſuæ innocentiſſimæ carnifices in delicijs habuerit, opibus, honoribus prouexerit, Deum quotidie per iocum ludumq; blaſphemarit.

Conciliatores fæderis ſunt Batavi, rebelles, cauſæ & concitatores rebellionum etiam Francicarum, qui terras mariaq; latrocinijs infeſtant, apud quos eſt omnium ſcelerum & ſectarum aſylum: apud quos ſola vera noſtra religio pro crimine eſt. Adde his ad fædus ſollicitarũ hoſtem Chriſtiani nominis ſempiternum, Turcarum tyrannum, eiuſq; ſeruum fallaciſſimũ Gaborem, quem etiam pecunia ad facinus emere Conſiliarij tui conſtituerunt, vt Cæſaris prouincijs velut Sicarium immitterent. Quid de Arctois Regibus, & impia, hæretica, venefica illorum populorum barbarie dicam? Hiſce etiam illigare Tuam Maieſtatem moliti ſunt. Quid Tibi cum Sueco, niſi vt tuos Principes doceat, vt erga te ſint tales, qualis ipſe fuit erga Sigiſmundum Sueciæ & Poloniæ Regem? De Venetis taceo, Vincit apud eos maior, hoc eſt, deterior pars Senatus. Non enim tam bene cum illa Republica agitur, vt in collegio ſint plures boni, ſed tales, qui vel falſam, vel nullam religionem, profaniſſimi Atheiſmi licentia ſecuri, colunt. Qui etiam dolis, promiſſis, arte, auro Tuos Conſiliarios

 corru-

corruperunt, vt bellum damnoſum Patriæ, ſibi lucroſum ſuaderent. Inter hos Rex Chriſtianiſſimus, primus Eccleſiæ S. filius, Sanctorum Regum nepos Religionis in prima ætate vindex & propagator, iuſtitiæ exemplum, pietatis & Religionis cultor. Inter hos, inquam, ſedebit ſupremus fœderis arbiter, inter inimicos Chriſti, Rex Chriſtianiſſimus? Eorum decretis non modò aſſenſum, ſed manum etiam commodabit? Populum ſuum Chriſtianum graui tributorum onere premet, Eccleſias & Clerum exhauriet, Nobiles in rabiem, Vrbes ad inopiam rediget, ruſticanam plebem fame perdet, ne deſit ſumptus in fœdus tam probroſum? Vt dentur ſexcenta millia in annos Hollandis, plura Palatino, ducenta millia Gabori, plura Baſſis Turcicis, vt exercitu iuuentur Griſones, opprimantur Genuenſes, Religio vera, in qua vna Rex meus ſalutem ſuam obtinere ſe poſſe ſperat, extinguatur? An tu, qui iſta Regi ſuades, oculũ Dei Vindicim non putas excubare? An Numinis fauorem, tutelam, auxilium ſibi ex illa ſocietate ſpondere Regem iubes?

Belli deinde Duces intueamur. Comes-Stabuli, iam olim Catholico ſanguine ebrius, ſenilem ſitim in Gallia pacare non potuit, quare in Liguriam abijt, vt aridas ſemper fauces Italo cruore prolueret. Mansfeldius multiplici periurio, transfugio, fuga, crudelitate, omnium flagitiorum fœditate, natalium dedecora profitetur, & illius tamen auaritiæ, fallacijſque nobilis Franciæ Equitatus peditatusq; committitur. Brunſuicus, hæreditarius Franciæ hoſtis, etiam procuſa moneta, ſe omnium Catholicorum hoſtem profeſſus eſt. Homo etiam inter ſuos ſemper habitus impius, exercitus ante pugnam proditor, in acie deſertor. Naſſauiorum eadem malitia: quorum Maior iam pœnas dedit, Minor expectat, &, quia fratre eſt crudelior, maiores, Veritatis contemptor viroſaq; libidine putris. His ſocijs, his ducibus fieri poteſt, vt alijs noceamus, vt nobis ſcelera aliena proſint, fieri non poteſt. Egredietur ignis ex Sociis, & deuorabit Franciam, niſi quamprimum vincula impietatis abijciamus. Conſilium hoc non eſt à Deo, ideo diſſipabitur. Conſilium eſt callidum eorum, qui ſe ipſum etiam Cacodæmonem aſtu ſuperare aut credunt, aut credi gaudent, ideo non proſperabitur. His Spiritus Dei minatur Iſaiæ 29. 14. Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentiam eius abſcondetur, Væ qui prfoundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera. Teſtis eſt omnis omnium retro temporum hiſtoria, ſemper regna afflictiſſima fuiſſe, cum verſuta calliditate Conſiliariorum, fœderatorum ſceleribus, machiniſq; innixa gubernabantur. Poſtquam enim ad hæreticorum amicitiam, & noxia commercia deuentum eſt, à Dei protectione

diſcedi-

diſceditur: Regnum a. cum à Deo pendere deſinet, primo impulſu concidet.

Animaduertis, Rex Chriſtianiſſime, viros fœderis tui, viros impios, Societatem belli infamem, regno tuo exitialem, vitæ tuæ inſidiatricem. Quod ſi tamen ad ea extrema rerum neceſſitas, fatale telum, Te coegiſſet, Si contra infideles, piratas, latrones, hæreticos latrocinantes neceſſarium bellum eſſet bellum gerendum, prætextum daret metus & infirmitas: Impio enim milite magis impium frangeres, & ſanguine perituro populum Chriſtianũ ſeruares. Nunc v. his ducibus, militibuſq; quem petis hoſtem? Ecce oẽs illi, in quos hæreticos, atheos, Turcas, Tartaros coemis, & immittis, tuam religionem fidemque profitentur, orthodoxi, Catholici, contra infidelium feritatẽ furoremq; à Deo auxilium poſcunt, omnes ſunt Eccleſiæ filij, cuius Tu primogenitus, cum omnib. Tu ſi non eodem loco, at eadem fide Numen imploras, eiſdem myſteriis & ſacramentis frueris, ad eandem felicitatem tendis, horum pietatem, vota, lacrymas, per impios tuæ fidei hoſtes audebis oppugnare? Contra fœdus noſtrum cum impiis ictum aſcẽdit eorum ad Deum oratio. Inter hos eſt affinis tuus Hiſpanus, & tua cum illo ſoror, Genua Italiæ ganzophylacium, vrbs religioſa: In Germania Archiepiſcopi, Principes Catholici, Cæſar inprimis inſigni religione, iuſtitia, in Deum fiducia, & regum omnium, quos Sol videt, clementiſſimus. Tot ſunt deinde Comites, Barones, Nobiles, ciues, agricolæ, cultores religionis tuæ, tot Eccleſiaſticorum Monachorumq; ſodalitia, contra illos omnes Gallica arma ſæuient, eos in ſeruitium hæreticis tradere, abnuentes contrucidare ſapientes Conſiliarij tui, forte & nonnulli Clerici, decreuerunt. Cum enim bellum pro hæreticis contra Catholicos decretum eſt, cum in orthodoxos ſancita eſt pactio, mortis ſententia in omnes lata eſt; Nec ſimplici tamen morte confœderatorum ſæuities contenta eſt, animarum parricidia peragit, dein neces corporum aceruat, hæreſes ſuas captiuis mentibus imponunt.

Non poſſunt ex tam infelicibus decretis proſperi ſucceſſus expectari; Ne votis quidem victoriam à Deo expoſcere licitum eſt. Os eorum obticeri vellem qui Catholici haberi volunt, ſi ita preces concipiant: Deus, in cuius manu ſunt omnia regna terrarum, trade ſeruos tuos Catholicos Valle Telianos in manus Griſonum infidelium; Germanos ſubijce ſub pedibus Palatini Caluiniani, dominetur hæreticus Epiſcopis, Presbyteris, Monachis, virginibus, fidelibus laicis tuis, qui exilio, rapina, laqueo, igne cogat eos fidem cultumq; tuum deſerere, Gabori, Turcis, Tartaris reliquias ſeruorum tuorum in Vngaria, Morauia, Sileſia, Bohemia, Auſtria, Stiria, Croatia diuende: ſit in plateis eorum clamor, in templis tuis ſolitudo quo citius Religio tua perire in terris, atheiſmus autem &

Caluiniſmus longe lateq́; plantari ac dilatari poſſit. Hæc oratio Catholici eſſe non poteſt, perſecutoris eſt, tyranni eſt, Dei hoſtis eſt, multo magis ipſa facta. Cur igitur pro malis contra bonos, pro diaboli Satellitio contra Dei ſeruos cum Vitæ & regni periculo pugnamus; cum pro illis contra hos Numen precari ſit crimen? Dei vero auxilium ſperare, quod petere non liceat, conſcientiæ eſt omnino profligatæ.

Fons tanti mali eſt, finis & propoſitum confœderatorum prorſus infandum. Etſi enim animi ſui ſenſus altè recondant, & cauſas ſpecioſas prætendant, vnus tamen & vnicus ſcopus, in quem per ambages omnia dirigunt, religionis eſt Orthodoxæ atque Eccleſiæ excidium, hæreſeon ſuarum propagatio. Hinc ſpes ingeſta, effuſæ largitiones, inuenti doli, vt Regem incautum in hunc extricabilem Labyrinthum conijcerent, vt religionis, pro qua mori paratus eſt, facerent exterminatorem. Hunc ſcopum illis eſſe propoſitum genius Caluiniſmi ſemper inquietus, ſeditioſus, ſanguinolentus ab anno 1560. nos, Galliæ pene cum excidio, docuit. Sed iſta omitto.

Bohemi Magiſtratum Cæſaris è feneſtra primum barbaro ritu præcipitarunt, quod Catholicorum aream contra iura legeſque condonare illis nollent. Palatinus cum initio contra Cæſarem coniuraret, omnibus in conuenticulis hæreſeon patrocinium, religionis Catholicæ exitium inculcat, vt acta omnia, quæ ex Germania huc allata ſunt, litteræque demonſtrant. Archiepiſcopatus & Epiſcopatus inter ſe omnes diuiſerunt; Ipſis Epiſcopis & Paſtoribus dura fata ordinarunt. Palatinus in medio rerum diſcrimine, cum alieni diadematis attactu furore cæpiſſet, non ſolum contra imagines concionem edi curauit, ſed, vt oſtenderet ſe impiis Prædicantibus venditum eſſe, vt malefaceret religioni, templa ſpoliauit, imagines cum ludibrio fregit, exuſſit; Sacerdotes Catholicos & Confeſſionis Auguſtanæ miniſtros vehementer afflixit. Gabor in Vngaria in Catholicos patrauit diriſſima, adeo vt Hugonotarum noſtrorum ingenioſiſſimum & maxime docilem ſe diſcipulum oſtenderit. Pauciores quidem Catholicos, quam noſtri, occidit. Verùm id non eſt factum miſericordia tyranni, ſed auaritia. Turcis enim & Tartaris precio vendere maluit in ſeruitutem omni morte acerbiorem. Brunſuicus, vt ante dixi, non modo magnis furoribus, ſed nummis publicè cuſis ſe in exitium Catholicæ religionis belligerare gloriatus eſt. Palatinus nullo alio argumento ſæpius & vehementius Gaborem in hodiernam diem ad bellum concitat, quam odio religionis. Eius excidium belli Caput. Ipſe Britannus, ſemper orthodoxorum

doxorum

doxorum perſecutor, non tam Generi cauſam (eam enim ſæpe improbauit) quam religionis agere conſenſit. Idem Bataui ſatagunt, qui nuper etiam Rupellanis & Subiziis fratribus ſcripſerunt, ne nunc vires tuas diſtrahant importuna rebellione, cum illæ ad opprimendos Catholicos, erigendos Reformatos opportuniſſimè exerceantur. Breui enim ſe toto Belgio, Germania, Hungaria, Bohemia, Heluetia dominaturos, tum ſolo metu poſſe Regem Galliæ in ordinem redigi, aut, ſi ita viſum fuerit, ipſum Regem cum Papiſmo eliminari.

Bataui nuper occupata Gochia tam nefanda in templo Catholico patrarunt, vt Dux ipſe diuinam vindictam ſibi accelerarit, & furibundus, fædum in modum, exerta lingua, aliquot dies cum morte luctatus, tortori Dæmoni animam reddiderit: Horrendum auditu eſt, quam grauiter noſter miles in Valle Telina, Engadino, aliis locis Catholicos vexarit, templa ſpoliarit, Sacerdotes pulſarit, eiecerit, Caluiniſmum reduxerit, vt non miles Chriſtianiſſimi, ſed atrociſſimorum Hugonotarum eſſe iudicetur. Queritur hoc Nuncius Apoſtolicus in Heluetia, non negat noſter Legatus in eadem prouincia; Sed nihil iſtorum ad tuas, ô Rex, aures peruenit, potentia miniſtrorum opprimuntur.

Hinc tantoperè à Venetis laboratum, vt Romano Pontifici fucum facerent, ne religionem & Eccleſiam peti intelligeret. Hoc in fædus inconſulta tuorum Te prudentia coniecit, horum malorum promotor eſt exercitus tuus, in hoc exitium Te ducit, trahit, rapit, & omnium malorum participem efficit pactorum conuentorum ratio, Hic non conſenſu modò auxilioque, ſed ductu etiam tuo in perniciem Religionis tuæ itur, errores & perfidia Hæreticorum communi conſilio aſtuq; firmantur, ſanguine Catholicorum ſanciuntur, in hunc vſum vires regni tui impenduntur, coronæ tuæ patrimonium oppignoratur, venditur, ne deſint enſes, quibus ſæuiat hæreſis, fides pereat.

Ingenio prauo, maloque homines hic mihi puerili argutia reſponſant. Sint iſta, inquiunt, Britannus, Danus, Suecus, Gabor, Hollandi, Palatinus religionem extinctam eant, redeant tempora Diocletiana, miles etiam noſter ea faciat, quæ illi volunt, Confæderatorum eſt noſtrorum vnum idemq; propoſitū. Suum cuique reddimus, ciuile bellum gerimus, potentiæ noſtræ conſulimus, æmuli Regis vires infringimus, Cadat religio, cadat Chriſtus, non eſt eius cauſa regni propagatio negligenda. Prudentia regnatrix Scholarum conſulta reſpuit. Deuotio fæminarum, nimia pietas fortia conſilia eneruat. Regna curent Reges, animas Chriſtus. Summa eſt: Belli Societas, ſi quid mali agit, nolumus, ſi quid vtile, accipimus. Aliorum ſit crimen, noſter fructus.

Palam iſta, exerteq́; pronuntiant, quos præſtaret, atheos eſſe, quam pietatem cum æterni Numinis irriſu ſimulare. Non poteſt, qui illa decerni & agi videt, conſentit, adiuuat, eſſe innocens. Catholicos morti, decreto bello, addiximus; Exercitum noſtrum, mortis adminiſtrum educimus, Hæreticos dominos rerum ſtatuimus, Catholicos ſeruitio eorum addicimus, hos Templis exigimus, illos inducimus, communi decreto, communi fato, an non etiam communi peccato? Qui effractis valuis ſacrilegos immittit, qui perfoſſo muro furibus aditum facit, qui viatorem latroni tradit, idque ex pacto, ex fœdere, is ſacrilegij, furti, latrocinij reus eſt. Impium eſt ludibrium, dicere: Sciebam illos ſacra expilaturos, furtum facturos, latrocinio ſæuituros, non tamen eo animo feci, vt alij iſta paterentur mala, alij facerent, Sed, vt per aliena incommoda, aliena ſcelera meæ potentiæ conſulerem. Nulli, ne Gentilium quidem illa excuſatio in mentem venit.

Iratis, irritis, auaris, crudelibus, furentibus hæreticis religioni Catholicæ infeſtiſſimis in manus tradimus Principes orthodoxos ex fœdere, Epiſcopos populos, templa, altaria, omnia ſacra; nec tamen in animo eſt nocere religioni. Gladium das in cædem ardenti, nec vis vt occidat. Paſtorem occidis, fidas canum excubias amoues, ouile lupo famelico reſeras, & crimen laceratarum ouium excuſas? Fecimus hæc, inquiunt, at non eo fine, vt lupi lanienam exercerent, lupi amici erant, ex lege fœderis iſta facta ſunt, quæ commemoras, vt poſſent laniare, non vt vellent, effeci: At nec hoc facere licuit, ius naturæ hoc vetuit, nec nos innocentem diceremus, qui nos inimicis traderet. Fratrem, pro quo mortuus eſt Chriſtus, inimicis tradere, tale factum eſt, quod nullo honeſtatis vero obuolui poteſt, Connexa illa ſunt, vt facto crimen hæreat.

Reſpondeant mihi, obſecro, callidi illi conſcientiarum deprauatores. Si affinis Regis noſtri pecunia ingenti Hugonottas ad bellum concitaret, vt Catholicis vrbes inuaderent, templa in Moſcheas conuerterent Caluinianas, omne veræ Religionis exercitum tollerent, Regem ipſum ad Caluiniſmum adigerent, an noſtra ille excuſatione vti non poſſet? Noluiſſe ſe religioni obeſſe, id tantū ſe agere, vt affini vires ſubtrahat, illius potentiam minauat, ſuæ cōſulat. Damnaret quidem illum æquitas, laudaret tamen, ſi conſtare ſibi vellet noſtræ rationis iniquitas. Quod ſi etiam adderet, prius ſe bello laceſſitum, amicos ſuos crudeliter oppreſſos, noſtro exemplo edoctum, ſe vicem reddere, Neceſſitate ad id conſilium deſcendiſſe, quod nos ſine neceſſitate vſurpauimus, vtcunque coram Deo ſit inexcuſabilis, nos eum profecto accuſare non

poſſu-

poſſumus ſi noſtra defendimus. Si igitur in illa compenſatione & talione eſt delictum, quantum eſt in prima machinatione crimen?

Fœderatos noſtros Britannum, alioſque, quorum inſtitutum eſt manifeſtum, religionem Catholicam peſſum dare, hæreſin inducere, nemo Catholicus ambigit, grauiſſimum in ſe ſcelus admittere: Nam contra æternam veritatem, contra Spiritum Sanctum bellum gerunt, vere ac proprie ſunt perſecutores, Conſectarium igitur eſt, nos dum mutuo fœdere & iureiurando, hortatu, auxilio ſcelera illa adiuuamus, defendimus, non eſſe innoxios: Nec dicere poſſumus, nolle nos id agere, quod agimus. Quid ergo eſt, quod volumus? quid eſt, quod nolumus? Volumus funditus extirpare Cæſarem, Hiſpanum, Moguntinum, Colonienſem, Treuirenſem, Bauarum, eorum ſocios. Regem Hungariæ volumus eſſe Gaborem, Bohemiæ Palatinum, Hollandos dominos Belgij, Indiarum poſſeſſores Turcæ, Mansfeldio, Brunſuico decernimus, quæ ceperint: Hanc in Europa Rempublicam volumus, Orbem, ſurſum, deorſum, vt Anhaltinus dicebat, vertemus. Quid nolumus? Per hæc nocere Religioni nolumus. Per Deum vos Conſiliarios appello. Qui tota Europa, quantum potes, Religionis hoſtes, Catholicorum carnifices Reges & Principes conſtituit non nocet Religionj? Principi curæ inprimis debet eſſe Religio. Crimen eſt in eius tutela eſſe negligentem. Omnium Theologorum eſt ſententia, Lex naturæ & diuina. vt ſubditis hæreticum magiſtratum ne præficias cum orthodoxus commode eſt ad manus. Noſtros ſubditos hæretico committere nefas eſt. Vnde ergo ius arripimus, vt per vim exteris dominos hæreticos imponamus? Hæreſes extirpare officium eſt Regum & Principum; Omnium hæreſeon teterrima eſt Caluiniana. Tu Rex Magne, Rex iuſte, libere loquor, niſi pro viribus in regno tuo hæreſes compeſcere ſatagas, æternum damnaberis. Hanc cum ſceptro legem accepiſti, hac ſyngrapha Deo & regno obſtringeris. Si lex domi te obligat, quid obſecro te futurum eſt, cum hæreſin in alienum regnum per ſanguinem catholicum induxeritis, firmaueris, propagaueris? Si damnabile eſt non ſuſtuliſſe venenum, cum poteſtas eſſet, quæ excuſatio fuerit, ſi ſparſeris, ſi reluctantibus per vulnera ingeſſeris? Regi datus eſt gladius ad vindictam malorum; tutelam bonorum: cum poteſt te eſt impoſita neceſſitas coercendorum furum, dulterorũ, latronũ, blaſphemorum omnium malorũ, etiam hæreticorum. Nam immanis blaſpemia eſt hæreſis. Hic & ſuæ & diuinæ Maieſt. Rex eſt vltor. In ſuo ergo regno religionis cuſtos eſt Princeps, in alieno eã lædere nõ põt, neq; hoc agere vt in vicino omnia ſcelera inualeſcãt: Conſtitutũ eſit, nõ licere foris, quod

quod nefas eſt domi. Verum Vincinorum perturbatio regnorum, non modo religioni in Gallia magna detrimenta adferet, Verum etiam eius conſtituendæ poteſtatem adimet. Si nos vndique Reges & Principes Caluiniani cingant, mutuo commercio ſubditos ſeducent, animos Caluinianorum erigent, quod libitum fuerit, poſtulabunt, ipſa corona cedet eorum inſolentiæ,

Olim ſoli bella Regibus fecerunt, ad iniquiſſimas conditiones coegerunt, inſpicite ab Anno 1561. omnia archiua, Acta Anuilliorum, Momerantiorum, Orenhianorum aliorum. Videte Bernæ, Baſileæ per Galliæ Principes agi delectus, Palatinum Electorem & Caſimirum in Gallia Anno 1576. indigniſſimas Regibus conditiones quaſi Captiuis imponentem, pro Hugonottis quaſi pro aris & focis depugnantem. Ille, cum omni maleficiorum genere, ſine religionis diſcrimine, Galliam vexaſſet, præmium popoſcit Metas, Verdunum, Tullum, vt compedes regno inijceret & Regem ſubderet Hugonottis. Nec eo contentus ſubductis rationibus deberi ſibi à Rege aſſeuerat, vndecim milliones Francorum, quorum pars etiam venditis Cimelijs perſoluta, ita pax Anni 1576. habet. Si tantum valuit Palatinorum duorum cum Hugonottis conſpiratio quando Italia, Hiſpania, Belgium, Anglia, Germania amica eſſet, quid futurum cenſes, ſi omnis illa potentia in Reges & Principes Caluinianos collata, coronæ tuæ Hugonottis artibus concitata, incumbat?

Vetera illa ſunt, quæ malis conſilijs reducuntur; At non obliuiſcetur regia Maieſtas, initio regni cum quorumdam dolo ſeditio gliſceret, alienatis à Rege Principum animis, Hollandos, Haſſum, Palatinum non modo clam in Regem conſpiraſſe, illi auxilia negaſſe, ſed palam miſiſſe exercitum quo Rex oppugnaretur, cui etiam ſtipendia eum ſoluere coegerunt. Ea fiducia ipſi Hugonottæ vt implicitum bello Regem viderunt, terra mariq; hoſtilia fecerunt, regia vectigalia interuerterunt, Vrbes occuparunt, priuilegio extorſerunt, acta retractare coegerunt, propugnacula diruere iuſſerunt, ſuæ licentiæ ita conſultum voluerunt, vt nihil ſupereſſet, quo compeſci valerent. Vnde eſt tantum mali? Nempe regios exercitus ſpecie quidem pro Rege pugnare, reuera Regi exitum, ſibi regnum parare perſuaſum habent, ſuis viribus accreſcere norunt, quicquid accedit amicis finitimis. Religionis ergo inimicos in regno ſuo Rex facit inuictos, omnia in præſens concedendo, deinde eorum coniuratos ad ſummam potentiam prouehendo.

Iuſtum eſt iudicium tuum Domine, Regum & regnorum arbiter. Rupellani rebellant, duo fratres Regum oppugnant, ſupplicat illis Rex, & munera

nera dat, vt quieſcant, poſtulata impij eorum approbat. Vnde tanta contumelia? Ita meremur: Populis Catholicis Caluinianos dominos imponere molimur, & ecce Rex ipſe Caluinianos dominos partitur ſubditos ſuos. Illi inſultant, Rex timet. Illi rapiunt, ſpoliant, ſcelerum præmia poſtulant; Rex velut captiuus præmia, quaſi pro obſequio pollicetur. Non eſt hoc religionem in ipſo regno conuellere, atque inſuper oſtendere ſeruis ſuis ſe imparem eſſe? Suſcipe Rex Magne tandem cogitationem dignam maioribus tuis, dignam magnitudine tua, dignam pietate. Reges Franciæ in Hiſpania, Germania, Vngaria, Italia, adeoque Aſia & Syria pro religione res maximas geſſerunt, vires Mahometanorum retuderunt, hæreſes profligarunt, non eſt nunc committendum, vt per eorum poſteros religio prematur, hæretici dominentur, Mahometanis Chriſtiani prodantur. Nullus eſt tam ſpecioſus prætextus, quo facinus tantum mundo probari poſſit.

Audio nonnullos iuſticiam neſcio quam prætendere, cui ſeruandæ neceſſarius ſit religionis interitus. Fiat iuſticia, inquiunt, & pereat fides. Fallunt illi non falluntur: norunt nullo iure, nulla lege permitti religionis violationem. De iuſtitia poſtea loquar, nunc hoc vrgeo; Arma noſtra iniuſta ſunt; quia contra DEVM ſunt, hoc eſt, aduerſa religioni. Sententia eſt veriſſima, à qua nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum multitudo differit. Nullum ab vtraque parte numquam poteſt eſſe iuſtum, niſi in altera ſit inculpata ignoratio. Bellum autem iuſtum eſſe à parte aduerſa in confeſſo eſt. Nullo iure cogi poſſunt populi Catholici, vt ab dicatis Principibus Catholicis ſeſe hæreticis ſubmittant, non poſſunt cogi Cæſar, Hiſpanus, Bauarus, Epiſcopi, vt Prouincias ſuas deſerant & hæreticis cedant. Si de ſolo Imperio, vel opibus ageretur, poſſit pacis cauſa bonus Princeps cedere, vt bono Succeſſori ſit locus: At nunc pro aris & focis, pro DEO, pro fide, pro animarum ſalute eſt bellum; Grandi ergo obligatione omnes Catholici Principes conſtringuntur, vt omnia moueant, ad extremam vſque ſanguinis guttam decertant, vt olim Machabæi, pro legitimis DEI ſui, ne hæretici Principes, eorumq; Prædicantes inuadant Prouincias ſibi commiſſas. Singulos ſua dignitas obligat. In cauſa DEI ſcelus eſt eſſe negligentem. Si igitur illi diuinis humaniſque legibus reſiſtere nobis tenentur, apparet iniuſtiſſime illos à nobis oppugnari.

Cæſari & Principibus DEVS mandauit, vt bello contra tua arma ſe tueantur, DEVM belli habent autorem, noſtrum igitur bellum contra DEVM eſt. Priuilegium orthodoxæ religionis agnoſcamus, nec contra ſtimulum, calcitremus.

citremus. Ciuem aliquem ſuum ſibi iuratum Rex edicto cogere non poteſt, vt filijs Ludimagiſtrum, aut Pædagogum hæreticum præficiat, ne ipſos quidem adoleſcentulos, vt talem agnoſcant. Hic ſanctio diuina ius regium ſiſtit. Hic Rex Regum auditur, & Rex populorum, dum Regem Regum non audit, deſeritur. Cur non poteſt tantillum in tantillos Rex tantus? In promptu cauſa eſt. Animarum cauſa agitur, quas non tantum perdere Rex non poteſt, ſed nec in periculum exitij mittere. Quin etiam ſi Ciuis ille ſit reus mortis, ſi filij læſæ Maieſtatis rei, non tamen in pœnam poteſt illis hæreticus inſtitutor præponi: Occidere reos poteſt, fidem corrumpere eorum non poteſt, nec periculo ſeductionis exponere. In hoc diſcrimine parere non debent, Imperium recuſare pium eſt, nam cautio periculi & fuga ſupra regias leges eſt. Nec ſcandalum illis Rex obijcere poteſt, alioqui in eum cœleſtis ira detonabit. Væ mundo à ſcandalis. Quod ſi in ſingulis & ſubditis Regis hoc veriſſimum, & mortale crimen eſt, dato heretico pædagogo ſcandalum obijcere puſillo vni, quo iure, qua conſcientia, tot Germaniæ populis, tot pueris, tot puellis, tot ineruditis, quos credendi pia ſimplicitas ſaluos facit, per arma Chriſtianiſſima hæreticos infeſtiſſimos, Fredericos, Mansfeldios, Brunſuicos, Naſſouios, eorum conſiſtoria, Prædicantes, Ludimagiſtros, Pædagogos, hæreſeon propagatores acerrimos obtrudemus? Væ regno noſtro, væ Conſiliarijs ſcandalis. Vtinam tantum ſit roboris atque religionis in Heroibus Germaniæ, vt tanta mala auertant, non tantum vt ſeſe tueantur, ſed ne nobis ſit tantæ offenſionis licentia.

Priuatum hoc exemplum eſt, ſed in publicis geſtis plus habet efficaciæ; Agedum, alio vtamur, quod omnes prudentes, etiam Sorbona, quamuis Cardinalitio energemate preſſa, probabit. Regum Franciæ nobiliſſimum inter Britannum & Regem noſtrum iam longo tempore eſt controuerſum. Hic poſſeſſor eſt, ille petitor, & titulo profitetur ſe occaſionib. inſidiari, facturumq; ne ſolo tituli ludibrio illud teneat. Tempus erit, quo repetere vi poterit. Hugonottas quam potentiſſimos fecimus, viris, opibus, claſſe valent; Britanno ſunt amiciſſimi, cum illo conſilia omnia conferunt, illi fidunt, religionis conſortem, patronum, defenſorem ſalutant, Regem noſtrum ſuſpectum habent, timent, omnia eum cælant, eneruatum & elumbem eſſe cupiunt: Britannum vero quam potentiſſimum. Facile ergo illi fuerit iunctis copijs graue Franciæ bellum inferre, nec Caletum tantum tenere, vt fortunam noſtram ferat in cingulo, ſed Pariſios reuiſere, vt diademate frontem cingat. Noſter ſe Rex bello ſine

dubio

dubio tueretur: poſſet tamen, rariſſimo exemplo, cedere æmulo, & nolle pro ſua faſcia fundi ſanguinem: Magna laus malle priuatum viuere, quam regnum cruentum tenere. Cedere tamen non liceret, ſi Britannus Caluinianus eſſet; prodere enim ſubditos & in diſcrimen religionis conijcere, nefas eſt. Ea nunc eſt cauſa Cæſaris & Principum Germanorum: Quamuis ſuis artibus calumnijſque hæretici fortaſſe alicui Conſiliariorum perſuaſerint, iuſtam eſſe Palatini cauſam, omnibus tamen clariſſimum eſt, non poſſe Germanis hanc à nobis pœnam infligi, vt hæreticis ſeſe ſubmittant, nam bellum alioqui iuſtum adiectu impiæ conditionis faceremus iniuſtum.

Nec hac de re ambigunt Proceres regni, qui dolentiſſime ferunt, paucorum prauitate fieri, vt tanta labes regno, ſub tam bono Rege inferatur. Imo Vrbes & populus orthodoxus conſilio regio palam conuitium facit, vt valde timendum ſit, ne illa breui fiant, quæ facta pronuper meminimus. Cauſa duplex eſt, Hugonottarum ſumma licencia, creſcens potentia, Catholicorum per milites & exactiones oppreſſio; quæ cum ſine ſpe meliorum in dies augeantur, prouidendum eſt Principibus, ne quid Reſpublica, ne quid Eccleſia patiatur detrimenti. Nihil autem Regi periculoſius eſſe poteſt, quam illa opinio; vitio gubernationis fieri, vt religio opprimatur. Cum enim tot populorum centena conſtanter veram, veteremque fidem tueantur, cum eo vinculo Regi ſuo nectantur, alio ſe verterent, ſi aulæ machinationibus fieri ſentiant, vt Hugonottis reddantur obnoxij. Hinc cauſæ ſeceſſionum & occultorum conuenticulorum. Quis non potius fæderatus Hiſpano, quam ſeruus Hugonottis eſſe volet?

Momoria repetamus vetera tempora & labores Henrici Magni, cui pacem nulla res, niſi religio dare potuit. Vbi Principes, Vrbeſque illam ſartam tectam ſperabunt, eo ſe inclinabunt, etiam Hiſpalim vſque. His adde promiſſa, aurum Indicum, quæ delectant: Simultates & offenſiones inter aulicos, quæ abalienant. Conſilium enim Regium ſuo lucro; Regis periculo peccat, nec modo minores, verum Principes etiam ſanguinis Regij, ipſum Regis Germanum contemptui habet, matrimonio ipſius obſiſtit, ſuſpiciones ſerit. Hinc iam ſcriptæ quæſtiones paſſim circumferuntur, quas multis lectas etiam Regi offero.

1. An Rex fœderatus hæreticis contra Catholicos publice ſit monendus à Statibus?
2. An Catholici Principes, qui ad iſta conniuent, peccent mortaliter?

3. An

3. An Rex inferens bellum Catholicis, & hæreſin inducens in alienas Prouincias, ſit ipſo facto excommunicatus?
4. An non eadem in cenſura, ſuaſores, adiutores?
5. An Rex armis compelli poſſit, vt à perſecutione Catholicorum abſtineat?
6. An Regi religionẽ peſſum danti & regnum affligenti poſſit armis reſiſti?
7. An Catholici Principes poſſint ad religionis tutelam ſe alicui Vicino Principi iungere, ſicut ſe hæreticis Rex iunxit?
8. An in tanta perturbatione conſultum, conſtituere religionis aliquem & miſerorum protectorem? & quaſi conregnantem?
9. Quis ille eſſe poſſit?

Hæc & alia ex gubernationis vitio oriuntur, dum ad vnius, alteriuſque libidinem, tota moles regni non ex æquo bonoque vertitur.

Venio nunc ad belli iuſtitiam, de qua ſerio & iuratus loquor. Grauius crimen eſſe vix poteſt, quam bellum iniuſtum indicere, gerere. Etenim ſingulorum latrociniorum illa eſt atrocitas, vt in cœlum vſque clamans vindictam expoſcat, nonne totius in ſe Tartari tormenta conciet, qui iniuſto bello, hoc eſt, publico latrocinio plura hominum millia trucidat? Quamuis belli rabies omnium ſcelerum dedecora ſecum vehat. Regis noſtri ea eſt mens, ea conſcientia, vt à prima iuuenta iuſtitiam ſibi deſponderit, eam coronæ ſuæ gemmam eſſe luculentiſſimam exiſtimarit, & iuſti illi nomen ex virtutis admiratione conſenſus bonorum indiderit. Atque vtinam eam illi laudem perpetuam eſſe ſinant, quorum conſilia Regem exoſum reddunt: Vtinam iniuſte bella, quorum nunquam diuturna felicitas, non ſuadeant, quorum in pace res arcta domi eſt.

Bella gerimus pro hæreticis Griſonibus contra Pontificem, & Vallis Telinæ afflictiſſimos Catholicos incolas: Pro Sabaudo contra Genuenſes: Pro Batauis contra Hiſpanum: Pro Palatino contra Cæſarem & Imperium Romanum: Pro Haſſo contra Agnatos: Pro Durlacenſi contra Badenſes. Pro Gabore contra Catholicos Vngaros & Cæſarem: Pro Bohemis rebellibus contra Regem eorum: Pro Dano & Sueco contra Principes & Epiſcopos Catholicos: Pro Turcis contra Chriſtianos: Gerimus, inquam, iſta bella vel miſſo exercitu noſtro vel adiuuando vel excitando. Hæc omnia bella iniuſta ciuiliter iniquiſſime ſuſcepta eſſe contendo, etiam pietate & religione ſepoſita.

Agite hanc rem ad Dei tribunal, ad quod certo ſiſtemur & ex norma legum diſceptemus. Quæramus an omnes, in quos enſes noſtri acuuntur, legi-

tima ſententia ad mortem damnauerimus: Tantiſper in ſuſpenſo maneat pronunciata ſententia, dum eius iuſtitia ventiletur: breuis eſt dilatio, ſummi tamen momenti. Salus omnium agitur & regni; regna enim de gente in gentem tranſferuntur propter iniuſtitiam. Omnium animę ab vna Regis anima repetentur, miſerior eſt, qui iniuſtè perimit, eo, qui perit. Nec quæro duntaxat, an iuſta ſint bella noſtra, ſed etiam an certò & euidenter iuſta. Nam immota ſtat iuris norma; Probationes in criminalibus luce meridiana oportere clariores eſſe. Si cauſa incerta eſt, certa morte reum occumbere nulla æquitas ſinit, quantò minus conſerta agmina concidenda ſunt, cauſa non liquente?

Hæc omnia bella à parte eorum, quos hoſtes nobis facimus, iuſtiſſima ſunt, non ex religionis tantum reſpectu, de quo ante dixi, ſed ex iure diuino & gentium: Quod duobus modis probo, primò generatim, deinde per ſingula. Contra quos bellum decernimus & gerimus, omnes morte dignos iudicamus, ab infimo lixa ad Cæſarem vſque; nam occidere iam incepimus. Vnde tamen in Cæſarem alloſq; eſt iuriſdictio? Nos illi ne verbo quidem læſerunt; Hæc eſt conſilij noſtri ſumma iniuſtitia, exterorum lites; qui longe à nobis abſunt, in quos nullum nobis ius eſt, dec dere. Quis iudices in Gallia legit? Quis in nos arbitros, quis in nos Commiſſarios compromiſit? De ſtillicidijs & feneſtris Germanorum ſi noſtra Parlamenta iudicare vellent, inſanire nos putarent inſani: Vnde ergo nobis illa authoritas in exterorum vitam, mortem? Quo iure dicis: Tu Cæſar morere; Tu Palatine regna: Tu hiſce terris cede, Tn occupa? Quid ſi Cæſar recuſat? Si Palatinus corrupit? Si Iudex eſſe non potes? Si Regem contra Ancrium infelicis fati diſceptantem Britannus in ius vocat, ſententiam mortis in eum dictet: Si nunc cum Subizijs certantem Batauì condemnent: Si Quæſtores ſuos ſuſpendio necantem ad cauſam dicendam Veneti citent, nonne iuſtum nobis in eos bellum tam inſignis iniuria concederet? Non plus nobis eſt in eos iuris, quibus bellum indicimus, quam Britanno, Batauis, Venetis in Regem noſtrum. Statuamus iudices eſſe omnium gentium Cardinalem cum ſuis coniuratis & creaturis, Iudices, inquam iudicem, & Reges Regum. non iuſtè tamen iudicarunt, quia inaudita altera parte, aut non ſufficienter audita, ſententiam protulerunt. In priuatorum diſceptatione cauſarum, citantur rei, conteſtantur lites, contra ſuſpectos iudices datur exceptio, accuſatorem audit reus, æquo iure diſceptatur, acta ſubmittuntur, ac tum poſt maturam deliberationem ſententiam pronunciatur. Nihil tale factum à Regio Conſilio. Cupiditates Hollandorum, importunitas Britanni, Venetum aurum, Spes, vi-

C ctoriæ

ctoriæ, odium patrium in hoc periculoſum bellum, damnante DEO & Mundo, induxit.

Nunc ad ſingula deſcendam: Bellum quod pro Lepontiis ſeu Griſonibus in Valle Telina gerimus, ex ſola libidine Venetorum, iniuſtum eſt. Incolæ Catholici rapinis, libidine, calumniis, crudelitate, hæreſi barbarorum Griſonum ad extremam calamitatem redacti, toti Orbi miſerabiles, Pontificem, Galliarum, Hiſpaniarum Reges ad ſui miſerationem flexêre. Noſtro etiam Rege conſentiente & probante à crudeliſſimorum tyrannorum dominatu, tanquam belluarum faucibus erepti ſunt; De eorum conditione diſceptatum eſt, placuit Pontifici iudicium permittere, velut communi Patri; Cuſtodia etiam prouinciæ illi tradita eſt, depoſita præſidia, dum res componeretur. Interim contra pacta conuenta, contra repetitas promiſſiones, contra ius ſequeſtrationis, exercitum hæreticorum inducimus, miſeros incolas rapinis, cædibus vexamus, præſidia Pontificia fugamus, mactamus, ciues ad lanienam iratis dominis tradimus, Sacerdotes Catholicos pellimus, hæreticos reducimus. Nulla hic iuſtitiæ ſpecies, multiplex iniuria. Communi in fide erant incolæ & præſidia, Nos ſubito non indicto bello irruimus, & quod ex æquo & lege componendum Iudici commiſimus, enſe diuidimus, necem ipſi iudici intentamus. Neque enim Pontificis duces ipſo Pontifici nocentiores fuerunt.

Nec iuſtior cauſa Sabaudi contra Genuam. Nam vt ius ipſum, quod longam tractationem requirit, omittam, Nos iudices Genua non admittit, cauſa recuſandi iudicis eſt legitima, Sabaudus noſter cliens, miles, affinis ſocius eſt, Genua amica Hiſpano eſt, quem cum affinem habeamus, hoſtem facere malumus, in partibus igitur ſumus. Deinde alius iam Iudex & quidem legitimus iudicauit. Genuenſes in poſſeſſione ſunt rei controuerſæ. Denique omnes viros doctos Iuris, omnes Academias appellant, nullum tribunal, in quo pari lege liceat diſceptare, recuſant. Clamant in cœlum vſque iniuſto ſe bello peti, cum ſententiam pro ſe habeant, cum adiutis & æquitatis leges ſe paratos offerant: Verùm in ore clamantium mucro noſter conditur. Non eſt de Zuccarella controuerſia, verùm commodus portus & opes nobiliſſimæ Vrbis cor noſtrum ſubuerterunt.

Hiſpanos iamdudum damnamus, Hollandos rebelles abſoluimus. Hiſpanus non ſum, nec amo Gentis faſtum. Si contra meum Regem inſurgant, pro viribus reſiſtere ſum paratus. Nunc de cauſa Hollandica diſputo. Non eſt illa melior quam noſtrorum Hugonottarum, omniumque vbique rebellium, & fidei ortho-

orthodoxæ perſecutorum. Quicquid ſuis flagitiis Hugonottæ prætendunt, exemplo Batauorum didicerunt. Grauia fuerunt à Deo in Franciam exercita iudicia, ſed iuſta. A quo tempore Batauis hæreticis & rebellibus Reges noſtri ſubſidium miniſtrarunt, inſidijs, ſeditionibus & cruentis domi bellis nunquam caruerunt. Pati illos domi Deus iuſſit, quòd foris in alios patrabant. Henricus Magnus impiorum conſilio deceptus, auro, milite, conſilio illos adiuuit, ideo tutum illum domi eſſe Deus non permiſit, hinc occulti ſicarij, Bironianæ machinationes, donec nefando ſcelere lumen illud Orbis extinctum eſt. Eo mortuo mater Regina, Procerum quorundam artibus penè coacta eſt, Hollandis & aliis contra Catholicos auxilia mittere. Nec defuit vltor Deus, Principum conſpiratione belloq; & ipſa & Rex extremum diſcrimen adiit, ab ipſis quos iuuerat, hæreticis non modo deſerta ſed oppugnata. Conſecutæ dein Procerũ fœdæ laniationes, eiectiones, aulæ dedecora, totus, quem maximum Pater Regis collegerat, effuſus, theſaurus, non in fidos ſed Principes æmulos. Nunc eum contra Catholicos generali fœdere nos hæreticis obſtrinximus, ingens timenda clades eſt. Fortes hoſtes ſunt, domi inopia, in regno rebellant Hugonotæ, non fidunt Principes, exaſperantur ſubditi. Interim militum florem in Hollandiam ablegamus, vt tanquam Orci victimæ ſine vllo ſalutis auxilio cadant; addimus opes, vendimus cenſus coronæ noſtræ. Tanto ſanguine pecuniaque potuit vinci Italia.

Palatini, Bohemorum, Gaboris cauſam probamus: Cæſarem, Socioſque perire volumus. Iuſtitia nos mouere non potuit. Ioannes Comes Naſſouius, Palatinianorum Ducum prope præcipuus, in ſuis ad Heidelbergenſem Cancellarium 14. Feb. An. 1621. datis literis, claris verbis profitetur: Hoſtem Spinolam fidere iuſtitiæ ſuæ cauſæ, At inter decem Palatinianos milites, etiã prudentiſſimos, ne vnum quidem eſſe, qui ex corde ſentiat, Regem ſuum, id eſt, Palatinum, iuſtam fouere cauſam. Britannus ipſe Generi cauſam ſemper damnauit, poſtremò tantum precibus adductus, tardè, parcè iuuare velle viſus eſt Noſtri Legati apud Cæſarem, Electoresq; magnis conatibus egerunt, vt Electoratu Palatinus priuatur, eaq; dignitas in Bauarum transferretur. Pœnam Rebellionis procurauimus, culpam igiur antè agnouimus admiſſam. Palatini cauſa eſt, quæ Baronij: Bohemorum, quæ Hugonottarum: Gaboris, quæ Latronum. Nemo poteſt tam perfidus malarum cauſarum eſſe patronus, vt Gaborem defendere auſit. Ferdinandus Rex Hungariæ electus, coronauit, etiam poſt Bohemicam Rebellionem Regnum tenuit, multo poſt in-

 feſto

-feſto Barbarorum exercitu Gabor regnum inuaſit, numquam electus, numquam coronatus eſt, mox eiectus Regno, pactis & periuriis luſit, gubernatoris & præfecti nomine adminiſtrare regnum optauit, non plus illi in Vngariam iuris, quam in Pariſios; Quomodo ergo illum auro & promiſſis excitamus, vt iuratam toties pacem violet, & ſibi non debitam Vngariam occupet? Quomodo iuſta eſt cauſa Gaboris, iniqua Cæſaris? Prodantur acta, res ipſa loquitur. Dicetne Rex Franciæ: Tu Frederice in Bohemia, Tu Gabor in Vngaria regna? Veſtra ſunt illa diademata. Tu Ferdinande cede aut morere. O ius, ô fas, ô iudicium æterno iuſticiæ vindice damnandum!

Nobis ſupplicat, ad nos confugit Haſſus, & Durlacenſis, cauſam habent iniquam, calumnijs agunt iniquiſſimis. Haſſus quidem conſpirationis, & omnium malorum, antequam à Socijs contemni cepiſſet, autor, ſola libidine rebellandi ditione ſua exceſſit, in qua pacifice filius degit, nobilitati & ſubditis ſuſpendia minatus eſt, partem ditionis Agnato ante multos annos iniuria ereptam, legibus & ordine legitimo iuris reſtituere coactus eſt. In medio ſunt acta tribunalium, nemo toto imperio iuriſperitus, niſi Mauritianus, cauſam eius probauit: non ergo nos ſententiam reſcindere, decretum legitimum iudicis gladio irritum facere poſſumus. At nobis eſt fœderatus. Bonum factum! Non tamen rapinas & iniurias fœderatorum tueri noſtræ eſt æquitatis.

Durlacenſis cauſa euidentiſſime iniuſta fuit, nulla tanta inuidia infamiaque hactenus in Germania laborauit, vt inſtructio cum ſcriptis authenticis ad noſtros Principes miſſa demonſtrat. Durlacenſis agnatos pupillos tenera ætate cum matre Vidua per iniuriam paterna ditione expulit, eorum ſupellectilem & precioſa vetuſtiſſimæ domus cimelia abſtulit, literas & arcana ad ſe tranſtulit, ſubditos Catholicos, vexauit, exhauſit, diu per artes pacifitorias legum vigorem eluſit. Triginta prope annos nepotes exulare coegit, donec tandem publica ſententia ſupremi Iudicis Marchiones Badenſes reſtituti ſunt; Ille tamen tam nos iniuſtos arbitratur, vt contra leges patrias, contra ius naturæ, prædam ſibi reſtitui poſtulet, nec aliud cauſæ prætendit, niſi quod bis Cæſarem oppugnarit, adeoque in rebellione perſeueret. Ius ergo, æquitatem, pacem, leges, inſtituta omnia Imperij & gentium importuno bello turbamus, non modo religionem exſcindimus, quare ſperare meliora nequaquam poſſumus.

Hæc adeo in vulgus nota ſunt, adeo probata, vt nec ipſi Conſiliarij bellorum

lorum architecti ambigant. Sed omnibus argumentis ratio vna potentior opponitur: Nempe Hiſpanicæ incrementa potentiæ ſiſtenda eſſe; dein domum illam eſſe extirpandam. Præclarum opus, ſed ſalua iuſticia & religione. Si iniuſtum bellum Hiſpanus ſuſcepit, reſiſtatur legitimis armis: Sola potentia creſcens non dat vicino iuſtam belli cauſam. Generis humani ſocietas concidat, neceſſe eſt, ſi impedimenta obijcere vicino, ne creſcat, licet. An, ne fertilior ſeges ſit alieno in agro, meſſis in herba opprimenda eſt? An, ne in aula regia collega te præcedat, occidendus eſt? An iuſta cauſa bellandi eſt Hugonottis, ne Rex ſceptrum firmet, vt illis in officio continendis par ſit? An Galliæ Principes iure contra Regem arma ſumere poſſunt, ne libertatem Rex eorum minuat? An Heluetij (quod anno 1571. fecere Bernates) iuuare poſſunt Hugonottas, vt Galliæ potentiam minuant? An idem poſſunt Anglus & Hollandi? Et quouſque tandem obſiſtemus potentioribus? Quare de Auſtria potentia adeo ſolliciti angimur, & de Turcica nemo cogitat? Quid ſi domitis Auſtrijs Britannus, Fredericus, Batauus potentior nobis euadat, an ſat cauſæ erit, vt in eos bellum decernamus? Quid ſi nos cunctis in Europa potentiores ſimus, an omnibus infirmioribus libera in nos arma conceduntur? Non eſt illa regnorum tutela ſed euerſio. Iuſticia, æquitate, clementia, pietate regna tuta ſunt; Deo ſeruiens, Deo fidens humana maieſtas inuicta eſt. Si alienis ſceleribus, perfidia, cædibus ſalutem credit, ruinæ proxima eſt.

Ad totius antiquitatis hiſtoriam appello, teſtis illa eſt. Nullum regnum quamdiu religione, iuſticia, modeſtia floruit, perijſſe. Nullum quando ex alienis bellis ſecuritatem quæſiuit perſtitiſſe. Scelera nonnulla felicia aliquando videntur, nulla ſunt: Cito pœnam nocentem apprehendit. O miſera Galliæ felicitas, ſi eſſe ſecura non poteſt, niſi Danus, Suecus, Gabor, Turca, Tartari Germaniam rapinis, ſtupris, cædibus, flammis, hæreſi contaminent, euertent, vaſtent.

Quanta porro propter conſilia noſtra ruant toto concita pericula mundo, partim experimur, partim vero certo prouidemus. Neceſſe eſt, vt metuamus multos & potentes, quia multos laceſſimus, neceſſe eſt timere ſocios, quia non oderunt & noſtro ſanguine ſua commoda proſequuntur verbis duntaxat amici. Arma Rupellana & Subiziana nos circumſonant, Germana, Vngara, Croatica, Polona parantur: Belgica ſtant in procinctu; Italica æquo Marte feruent, maiore noſtro damno: Angli dubius eſt animus, & in male coalito regno fortuna: Venetos offendimus: Gabor ex noſtra fortuna conſilium

 ſumet:

Caluiniſmus longe lateq́; plantari ac dilatari poſſit. Hæc oratio Catholici eſſe non poteſt, perſecutoris eſt, tyranni eſt, Dei hoſtis eſt, multo magis ipſa facta. Cur igitur pro malis contra bonos, pro diaboli Satellitio contra Dei ſeruos cum Vitæ & regni periculo pugnamus; cum pro illis contra hos Numen precari ſit crimen? Dei vero auxilium ſperare, quod petere non liceat, conſcientiæ eſt omnino profligatæ.

Fons tanti mali eſt, finis & propoſitum confœderatorum prorſus infandum. Etſi enim animi ſui ſenſus altè recondant, & cauſas ſpecioſas prætendant, vnus tamen & vnicus ſcopus, in quem per ambages omnia dirigunt, religionis eſt Orthodoxæ atque Eccleſiæ excidium, hæreſeon ſuarum propagatio. Hinc ſpes ingeſta, effuſæ largitiones, inuenti doli, vt Regem incautum in hunc extricabilem Labyrinthum conijcerent, vt religionis, pro qua mori paratus eſt, facerent exterminatorem. Hunc ſcopum illis eſſe propoſitum genius Caluiniſmi ſemper inquietus, ſeditioſus, ſanguinolentus ab anno 1560. nos, Galliæ pene cum excidio, docuit. Sed iſta omitto.

Bohemi Magiſtratum Cæſaris è feneſtra primum barbaro ritu præcipitarunt, quod Catholicorum aream contra iura legeſque condonare illis nollent. Palatinus cum initio contra Cæſarem coniuraret, omnibus in conuenticulis hæreſeon patrocinium, religionis Catholicæ exitium inculcat, vt acta omnia, quæ ex Germania huc allata ſunt, litteræque demonſtrant. Archiepiſcopatus & Epiſcopatus inter ſe omnes diuiſerunt; Ipſis Epiſcopis & Paſtoribus dura fata ordinarunt. Palatinus in medio rerum diſcrimine, cum alieni diadematis attactu furore cæpiſſet, non ſolum contra imagines concionem edi curauit, ſed, vt oſtenderet ſe impiis Prædicantibus venditum eſſe, vt malefaceret religioni, templa ſpoliauit, imagines cum ludibrio fregit, exuſſit; Sacerdotes Catholicos & Confeſſionis Auguſtanæ miniſtros vehementer afflixit. Gabor in Vngaria in Catholicos patrauit diriſſima, adeo vt Hugonotarum noſtrorum ingenioſiſſimum & maxime docilem ſe diſcipulum oſtenderit. Pauciores quidem Catholicos, quam noſtri, occidit. Verùm id non eſt factum miſericordia tyranni, ſed auaritia. Turcis enim & Tartaris precio vendere maluit in ſeruitutem omni morte acerbiorem. Brunſuicus, vt ante dixi, non modo magnis furoribus, ſed nummis publicè cuſis ſe in exitium Catholicæ religionis belligerare gloriatus eſt. Palatinus nullo alio argumento ſæpius & vehementius Gaborem in hodiernam diem ad bellum concitat, quam odio religionis. Eius excidium belli Caput. Ipſe Britannus, ſemper orthodoxorum

doxorum perſecutor, non tam Generi cauſam (eam enim ſæpe improbauit) quam religionis agere conſenſit. Idem Bataui ſatagunt, qui nuper etiam Rupellanis & Subiziis fratribus ſcripſerunt, ne nunc vires tuas diſtrahant importuna rebellione, cum illæ ad opprimendos Catholicos, erigendos Reformatos opportuniſſimè exerceantur. Breui enim ſe toto Belgio, Germania, Hungaria, Bohemia, Heluetia dominaturos, tum ſolo metu poſſe Regem Galliæ in ordinem redigi, aut, ſi ita viſum fuerit, ipſum Regem cum Papiſmo eliminari.

Bataui nuper occupata Gochia tam nefanda in templo Catholico patrarunt, vt Dux ipſe diuinam vindictam ſibi accelerarit, & furibundus, fœdum in modum, exerta lingua, aliquot dies cum morte luctatus, tortori Dæmoni animam reddiderit: Horrendum auditu eſt, quam grauiter noſter miles in Valle Telina, Engadino, aliis locis Catholicos vexarit, templa ſpoliarit, Sacerdotes pulſarit, eiecerit, Caluiniſmum reduxerit, vt non miles Chriſtianiſſimi, ſed atrociſſimorum Hugonotarum eſſe iudicetur. Queritur hoc Nuncius Apoſtolicus in Heluetia, non negat noſter Legatus in eadem prouincia; Sed nihil iſtorum ad tuas, ô Rex, aures peruenit, potentia miniſtrorum opprimuntur.

Hinc tantopere à Venetis laboratum, vt Romano Pontifici fucum facerent, ne religionem & Eccleſiam peti intelligeret. Hoc in fœdus inconſulta tuorum Te prudentia coniecit, horum malorum promotor eſt exercitus tuus, in hoc exitium Te ducit, trahit, rapit, & omnium malorum participem efficit pactorum conuentorum ratio, Hic non conſenſu modò auxilioque, ſed ductu etiam tuo in perniciem Religionis tuæ itur, errores & perfidia Hæreticorum communi conſilio aſtuq; firmantur, ſanguine Catholicorum ſanciuntur, in hunc vſum vires regni tui impenduntur, coronæ tuæ patrimonium oppignoratur, venditur, ne deſint enſes, quibus ſæuiat hæreſis, fides pereat.

Ingenio prauo, maloque homines hic mihi puerili argutia reſponſant. Sint iſta, inquiunt, Britannus, Danus, Suecus, Gabor, Hollandi, Palatinus religionem extinctam eant, redeant tempora Diocletiana, miles etiam noſter ea faciat, quæ illi volunt, Confœderatorum eſt noſtrorum vnum idemq; propoſitū. Suum cuique reddimus, ciuile bellum gerimus, potentiæ noſtræ conſulimus, æmuli Regis vires infringimus, Cadat religio, cadat Chriſtus, non eſt eius cauſa regni propagatio negligenda. Prudentia regnatrix Scholarum conſulta reſpuit. Deuotio fæminarum, nimia pietas fortia conſilia eneruat. Regna curent Reges, animas Chriſtus. Summa eſt: Belli Societas, ſi quid mali agit, nolumus, ſi quid vtile, accipimus. Aliorum ſit crimen, noſter fructus.

B Palam

Palam iſta, exerteq́; pronuntiant, quos præſtaret, atheos eſſe, quam pietatem cum æterni Numinis irriſu ſimulare. Non poteſt, qui illa decerni & agi videt, conſentit, adiuuat, eſſe innocens. Catholicos morti, decreto bello, addiximus; Exercitum noſtrum, mortis adminiſtrum educimus, Hæreticos dominos rerum ſtatuimus, Catholicos ſeruitio eorum addicimus, hos Templis exigimus, illos inducimus, communi decreto, communi fato, an non etiam communi peccato? Qui effractis valuis ſacrilegos immittit, qui perfoſſo muro furibus aditum facit, qui viatorem latroni tradit, idque ex pacto, ex fœdere, is ſacrilegij, furti, latrocinij reus eſt. Impium eſt ludibrium, dicere: Sciebam illos ſacra expilaturos, furtum facturos, latrocinio ſæuituros, non tamen eo animo feci, vt alij iſta paterentur mala, alij facerent, Sed, vt per aliena incommoda, aliena ſcelera meæ potentiæ conſulerem. Nulli, ne Gentilium quidem illa excuſatio in mentem venit.

Iratis, irritis, auaris, crudelibus, furentibus hæreticis religioni Catholicæ infeſtiſſimis in manus tradimus Principes orthodoxos ex fœdere, Epiſcopos populos, templa, altaria, omnia ſacra; nec tamen in animo eſt nocere religioni. Gladium das in cædem ardenti, nec vis vt occidat. Paſtorem occidis, fidas canum excubias amoues, ouile lupo famelico reſeras, & crimen laceratarum ouium excuſas? Fecimus hæc, inquiunt, at non eo fine, vt lupi lanienam exercerent, lupi amici erant, ex lege fœderis iſta facta ſunt, quæ commemoras, vt poſſent laniare, non vt vellent, effeci: At nec hoc facere licuit, ius naturæ hoc vetuit, nec nos innocentem diceremus, qui nos inimicis traderet. Fratrem, pro quo mortuus eſt Chriſtus, inimicis tradere, tale factum eſt, quod nullo honeſtatis vero obuolui poteſt, Connexa illa ſunt, vt facto crimen hæreat.

Reſpondeant mihi, obſecro, callidi illi conſcientiarum deprauatores. Si affinis Regis noſtri pecunia ingenti Hugonottas ad bellum concitaret, vt Catholicis vrbes inuaderent, templa in Moſcheas conuerterent Caluinianas, omne veræ Religionis exercitum tollerent, Regem ipſum ad Caluiniſmum adigerent, an noſtra ille excuſatione vti non poſſet? Noluiſſe ſe religioni obeſſe, id tantū ſe agere, vt affini vires ſubtrahat, illius potentiam minauat, ſuæ cōſulat. Damnaret quidem illum æquitas, laudaret tamen, ſi conſtare ſibi vellet noſtræ rationis iniquitas. Quod ſi etiam adderet, prius ſe bello laceſſitum, amicos ſuos crudeliter oppreſſos, noſtro exemplo edoctum, ſe vicem reddere, Neceſſitate ad id conſilium deſcendiſſe, quod nos ſine neceſſitate vſurpauimus, vtcunque coram Deo ſit inexcuſabilis, nos eum profecto accuſare non

poſſu-

poſſumus ſi noſtra defendimus. Si igitur in illa compenſatione & talione eſt delictum, quantum eſt in prima machinatione crimen?

Fœderatos noſtros Britannum, alioſque, quorum inſtitutum eſt manifeſtum, religionem Catholicam peſſum dare, hæreſin inducere, nemo Catholicus ambigit, grauiſſimum in ſe ſcelus admittere: Nam contra æternam veritatem, contra Spiritum Sanctum bellum gerunt, vere ac proprie ſunt perſecutores, Conſectarium igitur eſt, nos dum mutuo fœdere & iureiurando, hortatu, auxilio ſcelera illa adiuuamus, defendimus, non eſſe innoxios: Nec dicere poſſumus, nolle nos id agere, quod agimus. Quid ergo eſt, quod volumus? quid eſt, quod nolumus? Volumus funditus extirpare Cæſarem, Hiſpanum, Moguntinum, Colonienſem, Treuirenſem, Bauarum, eorum ſocios. Regem Hungariæ volumus eſſe Gaborem, Bohemiæ Palatinum, Hollandos dominos Belgij, Indiarum poſſeſſores Turcæ, Mansfeldio, Brunſuico decernimus, quæ ceperint: Hanc in Europa Rempublicam volumus, Orbem, ſurſum, deorſum, vt Anhaltinus dicebat, vertemus. Quid nolumus? Per hæc nocere Religioni nolumus. Per Deum vos Conſiliarios appello. Qui tota Europa, quantum potes, Religionis hoſtes, Catholicorum carnifices Reges & Principes conſtituit non nocet Religionj? Principi curæ inprimis debet eſſe Religio. Crimen eſt in eius tutela eſse negligentem. Omnium Theologorum eſt ſententia, Lex naturæ & diuina. vt ſubditis hæreticum magiſtratum ne præficias cum orthodoxus commode eſt ad manus. Noſtros ſubditos hæretico committere nefas eſt. Vnde ergo ius arripimus, vt per vim exteris dominos hæreticos imponamus? Hæreſes extirpare officium eſt Regum & Principum; Omnium hæreſeon teterrima eſt Caluiniana. Tu Rex Magne, Rex iuſte, libere loquor, niſi pro viribus in regno tuo hæreſes compeſcere ſatagas, æternum damnaberis. Hanc cum ſceptro legem accepiſti, hac ſyngrapha Deo & regno obſtringeris. Si lex domi te obligat, quid obſecro te futurum eſt, cum hæreſin in alienum regnum per ſanguinem catholicum induxeritis, firmaueris, propagaueris? Si damnabile eſt non ſuſtuliſse venenum, cum poteſtas eſset, quæ excuſatio fuerit, ſi ſparſeris, ſi reluctantibus per vulnera ingeſseris? Regi datus eſt gladius ad vindictam malorum; tutelam bonorum: cum poteſt te eſt impoſita neceſſitas coercendorum furum, adulterorũ, latronũ, blaſphemorum omnium malorũ, etiam hæreticorum. Nam immanis blaſpemia eſt hæreſis. Hic & ſuæ & diuinæ Maieſt. Rex eſt vltor. In ſuo ergo regno religionis cuſtos eſt Princeps, in alieno eã lædere nõ põt, neq; hoc agere vt in vicino omnia ſcelera inualeſcãt: Conſtitutũ eſt, nõ licere foris, quod

 ris, quod

quod nefas eſt domi. Verum Vincinorum perturbatio regnorum, non modo religioni in Gallia magna detrimenta adferet, Verum etiam eius conſtituendæ poteſtatem adimet. Si nos vndique Reges & Principes Caluiniani cingant, mutuo commercio ſubditos ſeducent, animos Caluinianorum erigent, quod libitum fuerit, poſtulabunt, ipſa corona cedet eorum inſolentiæ,

Olim ſoli bella Regibus fecerunt, ad iniquiſſimas conditiones coegerunt, inſpicite ab Anno 1561. omnia archiua, Acta Anuilliorum, Momerantiorum, Orenhianorum aliorum. Videte Bernæ, Baſileæ per Galliæ Principes agi delectus, Palatinum Electorem & Caſimirum in Gallia Anno 1576. indigniſſimas Regibus conditiones quaſi Captiuis imponentem, pro Hugonottis quaſi pro aris & focis depugnantem. Ille, cum omni maleficiorum genere, ſine religionis diſcrimine, Galliam vexaſſet, præmium popoſcit Metas, Verdunum, Tullum, vt compedes regno inijceret & Regem ſubderet Hugonottis. Nec eo contentus ſubductis rationibus deberi ſibi à Rege aſſeuerat, vndecim milliones Francorum, quorum pars etiam venditis Cimelijs perſoluta, ita pax Anni 1576. habet. Si tantum valuit Palatinorum duorum cum Hugonottis conſpiratio quando Italia, Hiſpania, Belgium, Anglia, Germania amica eſſet, quid futurum cenſes, ſi omnis illa potentia in Reges & Principes Caluinianos collata, coronæ tuæ Hugonottis artibus concitata, incumbat?

Vetera illa ſunt, quæ malis conſilijs reducuntur; At non obliuiſcetur regia Maieſtas, initio regni cum quorumdam dolo ſeditio gliſceret, alienatis à Rege Principum animis, Hollandos, Haſſum, Palatinum non modo clam in Regem conſpiraſſe, illi auxilia negaſſe, ſed palam miſiſſe exercitum quo Rex oppugnaretur, cui etiam ſtipendia eum ſoluere coegerunt. Ea fiducia ipſi Hugonottæ vt implicitum bello Regem viderunt, terra mariq; hoſtilia fecerunt, regia vectigalia interuerterunt, Vrbes occuparunt, priuilegio extorſerunt, acta retractare coegerunt, propugnacula diruere iuſſerunt, ſuæ licentiæ ita conſultum voluerunt, vt nihil ſupereſſet, quo compeſci valerent. Vnde eſt tantum mali? Nempe regios exercitus ſpecie quidem pro Rege pugnare, reuera Regi exitum, ſibi regnum parare perſuaſum habent, ſuis viribus accreſcere norunt, quicquid accedit amicis finitimis. Religionis ergo inimicos in regno ſuo Rex facit inuictos, omnia in præſens concedendo, deinde eorum coniuratos ad ſummam potentiam prouehendo.

Iuſtum eſt iudicium tuum Domine, Regum & regnorum arbiter. Rupellani rebellant, duo fratres Regum oppugnant, ſupplicat illis Rex, & munera

nera dat, vt quieſcant, poſtulata impij eorum approbat. Vnde tanta contumelia? Ita meremur: Populis Catholicis Caluinianos dominos imponere molimur, & ecce Rex ipſe Caluinianos dominos partitur ſubditos ſuos. Illi inſultant, Rex timet. Illi rapiunt, ſpoliant, ſcelerum præmia poſtulant; Rex velut captiuus præmia, quaſi pro obſequio pollicetur. Non eſt hoc religionem in ipſo regno conuellere, atque inſuper oſtendere ſeruis ſuis ſe imparem eſſe? Suſcipe Rex Magne tandem cogitationem dignam maioribus tuis, dignam magnitudine tua, dignam pietate. Reges Franciæ in Hiſpania, Germania, Vngaria, Italia, adeoque Aſia & Syria pro religione res maximas geſſerunt, vires Mahometanorum retuderunt, hæreſes profligarunt, non eſt nunc committendum, vt per eorum poſteros religio prematur, hæretici dominentur, Mahometanis Chriſtiani prodantur. Nullus eſt tam ſpecioſus prætextus, quo facinus tantum mundo probari poſſit.

Audio nonnullos iuſticiam neſcio quam prætendere, cui ſeruandæ neceſſarius ſit religionis interitus. Fiat iuſticia, inquiunt, & pereat fides. Fallunt illi non falluntur: norunt nullo iure, nulla lege permitti religionis violationem. De iuſtitia poſtea loquar, nunc hoc vrgeo; Arma noſtra iniuſta ſunt; quia contra DEVM ſunt, hoc eſt, aduerſa religioni. Sententia eſt veriſſima, à qua nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum multitudo differit. Nullum ab vtraque parte numquam poteſt eſſe iuſtum, niſi in altera ſit inculpata ignoratio. Bellum autem iuſtum eſſe à parte aduerſa in confeſſo eſt. Nullo iure cogi poſſunt populi Catholici, vt ab dicatis Principibus Catholicis ſeſe hæreticis ſubmittant, non poſſunt cogi Cæſar, Hiſpanus, Bauarus, Epiſcopi, vt Prouincias ſuas deſerant & hæreticis cedant. Si de ſolo Imperio, vel opibus ageretur, poſſit pacis cauſa bonus Princeps cedere, vt bono Succeſſori ſit locus: At nunc pro aris & focis, pro DEO, pro fide, pro animarum ſalute eſt bellum; Grandi ergo obligatione omnes Catholici Principes conſtringuntur, vt omnia moueant, ad extremam vſque ſanguinis guttam decertant, vt olim Machabæi, pro legitimis DEI ſui, ne hæretici Principes, eorumq; Prædicantes inuadant Prouincias ſibi commiſſas. Singulos ſua dignitas obligat. In cauſa DEI ſcelus eſt eſſe negligentem. Si igitur illi diuinis humaniſque legibus reſiſtere nobis tenentur, apparet iniuſtiſſime illos à nobis oppugnari.

Cæſari & Principibus DEVS mandauit, vt bello contra tua arma ſe tueantur, DEVM belli habent autorem, noſtrum igitur bellum contra DEVM eſt. Priuilegium orthodoxæ religionis agnoſcamus, nec contra ſtimulum, calcitremus.

dubio tueretur: poſſet tamen, rariſſimo exemplo, cedere æmulo, & nolle pro ſua faſcia fundi ſanguinem: Magna laus malle priuatum viuere, quam regnum cruentum tenere. Cedere tamen non liceret, ſi Britannus Caluinianus eſſet; prodere enim ſubditos & in diſcrimen religionis conijcere, nefas eſt. Ea nunc eſt cauſa Cæſaris & Principum Germanorum: Quamuis ſuis artibus calumnijſque hæretici fortaſſe alicui Conſiliariorum perſuaſerint, iuſtam eſſe Palatini cauſam, omnibus tamen clariſſimum eſt, non poſſe Germanis hanc à nobis pœnam infligi, vt hæreticis ſeſe ſubmittant, nam bellum alioqui iuſtum adiectu impiæ conditionis faceremus iniuſtum.

Nec hac de re ambigunt Proceres regni, qui dolentiſſime ferunt, paucorum prauitate fieri, vt tanta labes regno, ſub tam bono Rege inferatur. Imo Vrbes & populus orthodoxus conſilio regio palam conuitium facit, vt valde timendum ſit, ne illa breui fiant, quæ facta pronuper meminimus. Cauſa duplex eſt, Hugonottarum ſumma licencia, creſcens potentia, Catholicorum per milites & exactiones oppreſſio; quæ cum ſine ſpe meliorum in dies augeantur, prouidendum eſt Principibus, ne quid Reſpublica, ne quid Eccleſia patiatur detrimenti. Nihil autem Regi periculoſius eſſe poteſt, quam illa opinio; vitio gubernationis fieri, vt religio opprimatur. Cum enim tot populorum centena conſtanter veram, veteremque fidem tueantur, cum eo vinculo Regi ſuo nectantur, alio ſe verterent, ſi aulæ machinationibus fieri ſentiant, vt Hugonottis reddantur obnoxij. Hinc cauſæ ſeceſſionum & occultorum conuenticulorum. Quis non potius fæderatus Hiſpano, quam ſeruus Hugonottis eſſe volet?

Momoria repetamus vetera tempora & labores Henrici Magni, cui pacem nulla res, niſi religio dare potuit. Vbi Principes, Vrbeſque illam ſartam tectam ſperabunt, eo ſe inclinabunt, etiam Hiſpalim vſque. His adde promiſſa, aurum Indicum, quæ delectant: Simultates & offenſiones inter aulicos, quæ abalienant. Conſilium enim Regium ſuo lucro; Regis periculo peccat, nec modo minores, verum Principes etiam ſanguinis Regij, ipſum Regis Germanum contemptui habet, matrimonio ipſius obſiſtit, ſuſpiciones ſerit. Hinc iam ſcriptæ quæſtiones paſſim circumferuntur, quas multis lectas etiam Regi offero.

1. An Rex fœderatus hæreticis contra Catholicos publice ſit monendus à Statibus?
2. An Catholici Principes, qui ad iſta conniuent, peccent mortaliter?

3. An

3. An Rex inferens bellum Catholicis,& hæreſin inducens in alienas Prouincias,ſit ipſo facto excommunicatus ?

4. An non eadem in cenſura, ſuaſores, adiutores ?

5. An Rex armis compelli poſſit, vt à perſecutione Catholicorum abſtineat?

6. An Regi religionẽ peſſum danti & regnum affligenti poſſit armis reſiſti ?

7. An Catholici Principes poſſint ad religionis tutelam ſe alicui Vicino Principi iungere, ſicut ſe hæreticis Rex iunxit ?

8. An in tanta perturbatione conſultum, conſtituere religionis aliquem & miſerorum protectorem? & quaſi conregnantem ?

9. Quis ille eſſe poſſit ?

Hæc & alia ex gubernationis vitio oriuntur, dum ad vnius, alteriuſque libidinem,tota moles regni non ex æquo bonoque vertitur.

Venio nunc ad belli iuſtitiam, de qua ſerio & iuratus loquor. Grauius crimen eſſe vix poteſt,quam bellum iniuſtum indicere, gerere. Etenim ſingulorum latrociniorum illa eſt atrocitas, vt in cœlum vſque clamans vindictam expoſcat, nonne totius in ſe Tartari tormenta conciet, qui iniuſto bello, hoc eſt,publico latrocinio plura hominum millia trucidat ? Quamuis belli rabies omnium ſcelerum dedecora ſecum vehat. Regis noſtri ea eſt mens, ea conſcientia,vt à prima iuuenta iuſtitiam ſibi deſponderit, eam coronæ ſuæ gemmam eſſe luculentiſſimam exiſtimarit, & iuſti illi nomen ex virtutis admiratione conſenſus bonorum indiderit. Atque vtinam eam illi laudem perpetuam eſſe ſinant, quorum conſilia Regem exoſum reddunt: Vtinam iniuſte bella,quorum nunquam diuturna felicitas, non ſuadeant, quorum in pace res arcta domi eſt.

Bella gerimus pro hæreticis Griſonibus contra Pontificem, & Vallis Telinæ afflictiſſimos Catholicos incolas: Pro Sabaudo contra Genuenſes: Pro Batauis contra Hiſpanum: Pro Palatino contra Cæſarem & Imperium Romanum: Pro Haſſo contra Agnatos:Pro Durlacenſi contra Badenſes. Pro Gabore contra Catholicos Vngaros & Cæſarem: Pro Bohemis rebellibus contra Regem eorum:Pro Dano & Sueco contra Principes & Epiſcopos Catholicos: Pro Turcis contra Chriſtianos: Gerimus, inquam, iſta bella vel miſſo exercitu noſtro vel adiuuando vel excitando. Hæc omnia bella iniuſta ciuiliter iniquiſſime ſuſcepta eſſe contendo, etiam pietate & religione ſepoſita.

Agite hanc rem ad DEI tribunal, ad quod certo ſiſtemur & ex norma legum diſceptemus. Quæramus an omnes, in quos enſes noſtri acuuntur, legitima

tima ſententia ad mortem damnauerimus: Tantiſper in ſuſpenſo maneat pronunciata ſententia, dum eius iuſtitia ventiletur: breuis eſt dilatio, ſummi tamen momenti. Salus omnium agitur & regni; regna enim de gente in gentem tranſferuntur propter iniuſtitiam. Omnium animę ab vna Regis anima repetentur, miſerior eſt, qui iniuſtè perimit, eo, qui perit. Nec quæro duntaxat, an iuſta ſint bella noſtra, ſed etiam an certò & euidenter iuſta. Nam immota ſtat iuris norma; Probationes in criminalibus luce meridiana oportere clariores eſſe. Si cauſa incerta eſt, certa morte reum occumbere nulla æquitas ſinit, quantò minus conſerta agmina concidenda ſunt, cauſa non liquente?

Hæc omnia bella à parte eorum, quos hoſtes nobis facimus, iuſtiſſima ſunt, non ex religionis tantum reſpectu, de quo ante dixi, ſed ex iure diuino & gentium: Quod duobus modis probo, primò generatim, deinde per ſingula. Contra quos bellum decernimus & gerimus, omnes morte dignos iudicamus, ab infimo lixa ad Cæſarem vſque; nam occidere iam incepimus. Vnde tamen in Cæſarem alióſq; eſt iuriſdictio? Nos illi ne verbo quidem læſerunt; Hæc eſt conſilij noſtri ſumma iniuſtitia, exterorum lites; qui longe à nobis abſunt, in quos nullum nobis ius eſt, decedere. Quis iudices in Gallia legit? Quis in nos arbitros, quis in nos Commiſſarios compromiſit? De ſtillicidijs & feneſtris Germanorum ſi noſtra Parlamenta iudicare vellent, inſanire nos putarent inſani: Vnde ergo nobis illa authoritas in exterorum vitam, mortem? Quo iure dicis: Tu Cæſar morere; Tu Palatine regna: Tu hiſce terris cede, Tu occupa? Quid ſi Cæſar recuſat? Si Palatinus corrupit? Si Iudex eſſe non potes? Si Regem contra Ancrium infelicis fati diſceptantem Britannus in ius vocat, ſententiam mortis in eum dictet: Si nunc cum Subizijs certantem Batatui condemnent: Si Quæſtores ſuos ſuſpendio necantem ad cauſam dicendam Veneti citent, nonne iuſtum nobis in eos bellum tam inſignis iniuria concederet? Non plus nobis eſt in eos iuris, quibus bellum indicimus, quam Britanno, Batauis, Venetis in Regem noſtrum. Statuamus iudices eſſe omnium gentium Cardinalem cum ſuis coniuratis & creaturis, Iudices, inquam iudicem, & Reges Regum. non iuſtè tamen iudicarunt, quia inaudita altera parte, aut non ſufficienter audita, ſententiam protulerunt. In priuatorum diſceptatione cauſarum, citantur rei, conteſtantur lites, contra ſuſpectos iudices datur exceptio, accuſatorem audit reus, æquo iure diſceptatur, acta ſubmittuntur, ac tum poſt maturam deliberationem ſententiam pronunciatur. Nihil tale factum à Regio Conſilio. Cupiditates Hollandorum, importunitas Britanni, Venetum aurum, Spes, vi-

orthodoxæ perſecutorum. Quicquid ſuis flagitiis Hugonottæ prætendunt, exemplo Batauorum didicerunt. Grauia fuerunt à Deo in Franciam exercita iudicia, ſed iuſta. A quo tempore Batauis hæreticis & rebellibus Reges noſtri ſubſidium miniſtrarunt, inſidijs, ſeditionibus & cruentis domi bellis nunquam caruerunt. Pati illos domi Deus iuſſit, quod foris in alios patrabant. Henricus Magnus impiorum conſilio deceptus, auro, milite, conſilio illos adiuuit, ideo tutum illum domi eſſe Deus non permiſit, hinc occulti ſicarij, Bironianæ machinationes, donec nefando ſcelere lumen illud Orbis extinctum eſt. Eo mortuo mater Regina, Procerum quorundam artibus penè coacta eſt, Hollandis & aliis contra Catholicos auxilia mittere. Nec defuit vltor Deus, Principum conſpiratione belloq; & ipſa & Rex extremum diſcrimen adiit, ab ipſis quos iuuerat, hæreticis non modo deſerta ſed oppugnata. Conſecutæ dein Procerũ fœdæ laniationes, eiectiones, aulæ dedecora, totus, quem maximum Pater Regis collegerat, effuſus, theſaurus, non in fidos ſed Principes æmulos. Nunc eum contra Catholicos generali fœdere nos hæreticis obſtrinximus, ingens timenda clades eſt. Fortes hoſtes ſunt, domi inopia, in regno rebellant Hugonottæ, non fidunt Principes, exaſperantur ſubditi. Interim militum florem in Hollandiam ablegamus, vt tanquam Orci victimæ ſine vllo ſalutis auxilio cadant; addimus opes, vendimus cenſus coronæ noſtræ. Tanto ſanguine pecuniaque potuit vinci Italia.

Palatini, Bohemorum, Gaboris cauſam probamus: Cæſarem, Socioſque perire volumus. Iuſtitia nos mouere non potuit. Ioannes Comes Naſſouius, Palatinianorum Ducum prope præcipuus, in ſuis ad Heidelbergenſem Cancellarium 14. Feb. An. 1621. datis literis, claris verbis profitetur: Hoſtem Spinolam fidere iuſtitiæ ſuæ cauſæ, At inter decem Palatinianos milites, etiã prudentiſſimos, ne vnum quidem eſſe, qui ex corde ſentiat, Regem ſuum, id eſt, Palatinum, iuſtam fouere cauſam. Britannus ipſe Generi cauſam ſemper damnauit, poſtremò tantum precibus adductus, tardè, parcè iuuare velle viſus eſt Noſtri Legati apud Cæſarem, Electoresq; magnis conatibus egerunt, vt Electoratu Palatinus priuatur, eaq; dignitas in Bauarum transferretur. Pœnam Rebellionis procurauimus, culpam igiur antè agnouimus admiſſam. Palatini cauſa eſt, quæ Baronij: Bohemorum, quæ Hugonottarum: Gaboris, quæ Latronum. Nemo poteſt tam perfidus malarum cauſarum eſſe patronus, vt Gaborem defendere auſit. Ferdinandus Rex Hungariæ electus, coronauit, etiam poſt Bohemicam Rebellionem Regnum tenuit, multo poſt in-

feſto Barbarorum exercitu Gabor regnum inuaſit, numquam electus, numquam coronatus eſt, mox eiectus Regno, pactis & periuriis luſit, gubernatoris & præfecti nomine adminiſtrare regnum optauit, non plus illi in Vngariam iuris, quam in Pariſios; Quomodo ergo illum auro & promiſſis excitamus, vt iuratam toties pacem violet, & ſibi non debitam Vngariam occupet? Quomodo iuſta eſt cauſa Gaboris, iniqua Cæſaris? Prodantur acta, res ipſa loquitur. Diceene Rex Franciæ: Tu Frederice in Bohemia, Tu Gabor in Vngaria regna? Veſtra ſunt illa diademata. Tu Ferdinande cede aut morere. O ius, ô fas, ô iudicium æterno iuſticiæ vindice damnandum!

Nobis ſupplicat, ad nos confugit Haſſus, & Durlacenſis, cauſam habent iniquam, calumnijs agunt iniquiſſimis. Haſſus quidem conſpirationis, & omnium malorum, antequam à Socijs contemni cepiſſet, autor, ſola libidine rebellandi ditione ſua exceſſit, in qua pacifice filius degit, nobilitati & ſubditis ſuſpendia minatus eſt, partem ditionis Agnato ante multos annos iniuria ereptam, legibus & ordine legitimo iuris reſtituere coactus eſt. In medio ſunt acta tribunalium, nemo toto imperio iuriſperitus, niſi Mauritianus, cauſam eius probauit: non ergo nos ſententiam reſcindere, decretum legitimum iudicis gladio irritum facere poſſumus. At nobis eſt fœderatus. Bonum factum! Non tamen rapinas & iniurias fœderatorum tueri noſtræ eſt æquitatis.

Durlacenſis cauſa euidentiſſime iniuſta fuit, nulla tanta inuidia infamiaque hactenus in Germania laborauit, vt inſtructio cum ſcriptis authenticis ad noſtros Principes miſſa demonſtrat. Durlacenſis agnatos pupillos tenera ætate cum matre Vidua per iniuriam paterna ditione expulit, eorum ſupellectilem & precioſa vetuſtiſſimæ domus cimelia abſtulit, literas & arcana ad ſe tranſtulit, ſubditos Catholicos, vexauit, exhauſit, diu per artes pacifitorias legum vigorem eluſit. Triginta prope annos nepotes exulare coegit, donec tandem publica ſententia ſupremi Iudicis Marchiones Badenſes reſtituti ſunt; Ille tamen tam nos iniuſtos arbitratur, vt contra leges patrias, contra ius naturæ, prædam ſibi reſtitui poſtulet, nec aliud cauſæ prætendit, niſi quod bis Cæſarem oppugnarit, adeoque in rebellione perſeueret. Ius ergo, æquitatem, pacem, leges, inſtituta omnia Imperij & gentium importuno bello turbamus, non modo religionem exſcindimus, quare ſperare meliora nequaquam poſſumus.

Hæc adeo in vulgus nota ſunt, adeo probata, vt nec ipſi Conſiliarij bellorum

lorum architecti ambigant. Sed omnibus argumentis ratio vna potentior opponitur: Nempe Hiſpanicæ incrementa potentiæ ſiſtenda eſſe; dein domum illam eſſe extirpandam. Præclarum opus, ſed ſalua iuſticia & religione. Si iniuſtum bellum Hiſpanus ſuſcepit, reſiſtatur legitimis armis: Sola potentia creſcens non dat vicino iuſtam belli cauſam. Generis humani ſocietas concidat, neceſſe eſt, ſi impedimenta obijcere vicino, ne creſcat, licet. An, ne fertilior ſeges ſit alieno in agro, meſſis in herba opprimenda eſt? An, ne in aula regia collega te præcedat, occidendus eſt? An iuſta cauſa bellandi eſt Hugonottis, ne Rex ſceptrum firmet, vt illis in officio continendis par ſit? An Galliæ Principes iure contra Regem arma ſumere poſſunt, ne libertatem Rex eorum minuat? An Heluetij (quod anno 1571. fecere Bernates) iuuare poſſunt Hugonottas, vt Galliæ potentiam minuant? An idem poſſunt Anglus & Hollandi? Et quouſque tandem obſiſtemus potentioribus? Quare de Auſtria potentia adeo ſolliciti angimur, & de Turcica nemo cogitat? Quid ſi domitis Auſtrijs Britannus, Fredericus, Batauus potentior nobis euadat, an ſat cauſæ erit, vt in eos bellum decernamus? Quid ſi nos cunctis in Europa potentiores ſimus, an omnibus infirmioribus libera in nos arma conceduntur? Non eſt illa regnorum tutela ſed euerſio. Iuſticia, æquitate, clementia, pietate regna tuta ſunt; Deo ſeruiens, Deo fidens humana maieſtas inuicta eſt. Si alienis ſceleribus, perfidia, cædibus ſalutem credit, ruinæ proxima eſt.

Ad totius antiquitatis hiſtoriam appello, teſtis illa eſt. Nullum regnum quamdiu religione, iuſticia, modeſtia floruit, perijſſe. Nullum quando ex alienis bellis ſecuritatem quæſiuit perſtitiſſe. Scelera nonnulla felicia aliquando videntur, nulla ſunt: Cito pœnam nocentem apprehendit. O miſera Galliæ felicitas, ſi eſſe ſecura non poteſt, niſi Danus, Suecus, Gabor, Turca, Tartari Germaniam rapinis, ſtupris, cædibus, flammis, hæreſi contaminent, euertent, vaſtent.

Quanta porro propter conſilia noſtra ruant toto concita pericula mundo, partim experimur, partim vero certo prouidemus. Neceſſe eſt, vt metuamus multos & potentes, quia multos laceſſimus, neceſſe eſt timere ſocios, quia non oderunt & noſtro ſanguine ſua commoda proſequuntur verbis duntaxat amici. Arma Rupellana & Subiziana nos circumſonant, Germana, Vngara, Croatica, Polona parantur: Belgica ſtant in procinctu; Italica æquo Marte feruent, maiore noſtro damno: Angli dubius eſt animus, & in male coalito regno fortuna: Venetos offendimus: Gabor ex noſtra fortuna conſilium

 ſumet:

ſumet: Turca mouere nihil poteſt; mari nos naufragia, terra peſtilentia contundit; ex Italia ſupplementa militum; ex omni loco pecuniæ petuntur; domi gemitus ciuium, foris mortes. Tantorum malorum incertus eſt exitus, & inter tot funera noſtrorum, quid aliis illaturi ſumus mali, non quid ipſi pati poſſimus improuidi cogitamus: Vtrimque ferrum eſt & humana corpora: Ignis vtrimque & ligna: Regnum noſtrum planum eſt, & opportunum iniuriæ, montanis & bellacibus populis incluſum.

Summa periculorum eſt, bellorum plurium per plures annos continuanda ſeries, quorum molem Sabaudus ferre non poteſt. Anglus & Veneti à ſe deuoluent, vt tandem toti Franciæ incumbat. Ducetur ſane bellum, nam multi ſunt & fortes hoſtes: Timendum etiam eſt, ne trahatur ſecundioribus hoſtium rebus. Quod ſi fiat, quis non videt de fore nobis commeatum & ſtipendia, præſertim ſi in Franciam ferrum, flammæque inferantur, ſi neruus incidatur, omnes vires corruent, ipſi noſtri milites regni exitio ſibi ſtipendia quærent. Magis etiam ipſos Duces metuo: Ladigiram ſemper Regibus aduerſum, ferocem, quem exarmare Rex non poteſt; Ille, ſi velit, Regem Hugonottis tradere poteſt: Guiſius offenſus eſt inſolentia Hugonottarum: Angoliſmenſem nunquam diſcinget Rex, poſtquam ſemel accinctus eſt. Tot Dominos habet Rex Franciæ, quot Duces exercitus, Singuli poſſint illum, ſi velint, euertere. Turpe autem eſt Conſiliariorum erratum, eò rem deducere, vt Rex ſaluus eſſe non poſſit, niſi pauciſſimorum fide, & eorum, qui nuper contra eum in acie ſteterunt, qui theſaurum Regni illi extorſerunt.

Accedit & Romæ periculum: Pontifex enim Rom. cum ex noſtris machinationibus conſequi videat religionis per Europam totam interitum, omnia contra tantum cladem mouere ex officio tenetur: Ac ſanè mouebit, arma expediet, gladium vtrumque vitrabit, ſpiritualem ſuā, materialem Hetruſcâ, aliâue manu. Si nos iam ante in exitium religionis iunctos hæreticis ab Eccleſia eliminet, à iureiurando ſubditos abſoluat, ad defenſionem religionis Principes vrbeſque cohortetur, Epiſcopis promulgationem & executionem demandet, quantum periculi aditura ſit Regia Maieſtas, multa nos Galliarum experimenta docuerunt. Quamuis iam plurium ſit ſententia, Regem, niſi ignorantia excuſetur, eſſe excommunicatum; Conſiliarios, qui lucri & honoris cupidine tantum malum contra conſcientiam moliuntur, ipſo facto eſſe excommunicatiſſimos. Quocirca caſtra noſtra hæreticis abundant, deſunt concionatores, Sacrificia, confeſſarij, omnia in illis ſimilima caſtris hæreticorum

rum. Cum enim impia bella ſe gerere plerique norint, in eiſque perſeuerent, fruſtra exiſtimant, Sacramenta, quæ profanant, percepturos.

Quare concludo, & conceptis verbis ex animi mei ſententia, coram Sanctiſſima Trinitate, per Deum vnum & Trinum iuro: Bellum, quod ex fœdere gerimus vere, ipſo facto contra religionem eſſe, fœdus ipſum eſſe impium: Bellum, etiamſi religionis cauſa ſeponantur, eſſe iniuſtiſſimum, pro nocentibus contra innocentes, pro hæreſi contra Eccleſiam, pro Satanæ ſatellitibus, contra ſeruos Dei Deumque ipſum. Eos qui decernunt, ſaluos eſſe, niſi deſiſtant, non poſſe: Ad reſtitutionem damnorum obligari, omnes coram terribili Chriſti tribunali ab omnibus quotquot hoc bello vel cadunt, vel in forbitunis vel in corpore, vel in anima religione quæ quicquam patiuntur, grauiſſimè accuſatum & iuſtiſſimè damnatum iri. Ita cenſeo. Ita me Deus adiuuet æterna Veritas. Si fallo, hoc ipſo momento me Deus veritatis violatæ vltor diſperdat. Hæc breuiter: Quæ ex iure naturali, diuino, gentium, legibus coram Rege, totique regno defendere ſum paratus; imò me in ipſum periculum dare non ſum veritus, ſed me Principes religionis & Patriæ amantes prohibent.

Interim Regi meo & Patriæ meæ vitam & omnia do dicoque. Quia vero nihil maius, magisque neceſſarium hoc tempore præſtari poſſe ſuæ Maieſtati certo ſcio, quam fidem & liberam admonitionem, aggreſſus ſum; conſilium mihi periculoſum, quia aduerſarij multi, Regi ſaluberrimum ſi amplectatur. Quod vt fiat, te, O Rex Regum, in cuius manu ſunt corda Regum ſupplex veneror quæſoque.

99 957621

Mc